

GEORGII FRIDERICI WACHE
IVRIVM CANDIDATI

OPVSCVLVM

HISTORICO-IVRIDICVM

ORIGINEM NOBILITATIS
INFERIORIS
CONCERNENS.

IO. HENR. BOECLER,


in Tiberio Caesare Diff. II.

Magnis Rebus publicis imperiisque Nobiles divinitus destinantur vel ad ornatum vel ad praesidium. In regno praecepsium regnantis decus ex praefulm censetur illustres domus: adeo ut a tyranni nota vel suspicione se non liberaturus sit, qui haec regni sidera extinguita cupit.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM, ANNO MDCCCLXV.

SVMTIEVS AVCTORIS.



QVEIS
CIRCVM GALEA IMAGINVM SPLENDOR ET ALTA
VETVSTATIS GLORIA

VIRIS
ABRAHAMO FRIEDERICO
AB ARNIM

VCKAROMARCHIAE CÖNSILIARIO PROVINCIALI
ET DOMINO IN KROECHELNDORFF, BVETKOW,
BERTIKOW, RADVN, WODDOW, KV TZ,
&C. &C.

PARITER
GEORGIO HENRICO
AB ARNIM

DOMINO IN WERBELOW, MILOW, SCHWANEBERG,
&C. &C. &C.

Q V I B V S
VT
FRATERNA PIETAS
A 2

SIC PIETAS VIRTVS, CHRISTIANA PIETAS
CORDA IVNGIT
HUMANVM GENVS
AMANTIVM QVI FVERVNT SVNT ET ERVNT
MAXVMIS
QVI
VT AVGVSTVS OLIM MARONI
SIC MVSIS SOLATIVM
RARIS SCIENTIARVM AMICIS, MVSARVM PRO-
TECTORIBVS
BENIGNIS STATORIBVS FORTVNAE
CLIENTIVM
QVIBVS
OFFICIA DEBENT ET PIETATEM
PERENNEM

CVM
LAETI MDCCLXV. ANNI
PRIMVS
TEMPESTATEM NOSTRAM VIDISSET LVCIFER
CVM SINCERRIMO VOTO
VT,
DVM IN HIS TERRIS COMMORANTVR,
IN QVIBVS NIHIL EST,
NISI QVOD FRAGILE
CADVCVMQVE SIT,
VITAE FELICITATEM SVBSEQUENTES ANNI
QVIBVS
MVLTOS ADDAT SVMMVS RERVM
ARBITER

A 3

TER QVATERQVE CONTINEANT
OBSERVANTIA TANTA QVANTA EST SVMMA
HOC QVALECVNQVE EST ACADEMICVM
SPECIMEN
GRATI ANIMI TESTIFICANDI CAVSSA INQVE
BENEFICIORVM AB IIS IN SE
COLLATORVM MEMORIAM
SEMPITERNAM

EX SOLEMNI VETERVM FORMVL

D. D. D.

A V C T O R.



DE
ORIGINE NOBILITATIS
INFERIORIS.

§. I.

Tametsi verum quidem, humani generis necessitate factum fuisse, ut dominia rerum nasci ceperint: a parvis initii variis tamen ex causis eadem maiora sensim sensimque ceperunt incrementa. Nam pestifera ista sententia, ut ita dicam, decisiva, vi cuius in collisione officiorum, obligatio se suumque statum perfectiorem reddendi, semper sit praferenda, multorum æternis naturæ legibus contrariorum consecutariorum est foecundissima mater. Deest mundo optimo Confuciana Respublica, effluxere aurea illa Secula, quibus et nobis venerandus Confucius iam 551. annos ante Chri-



Christum natum, ut perhibent, gentem suam ab Egoismo morali removere allaborauit eamque ea observare docuit, qua IV. Secula post illum Seneca de Benef. Cap. I. sequentem in modum pronunciavit: *Homo est sociale animal et in commune genitus, mundum ut unam domum spectat, semperque tanquam in publico vivit.* Et paulo post: *hac lege et agat cuncta et exigat* (a). Quanquam vero Seneca volente in commune vivendum sit, longe aliter tamen statuit optimus mundus. Dira illa habendi cupido comite sibi juncta superbia plus iusto hominum animos a recto tramite deduxit, et ita in deterius effecit ruere, ut ad avaritiam et superbiam promovendam in promovendæ propriæ perfectionis latebras se recipient et inde quilibet ut rerum ubertate et potentia inter alios eminet, ita quam maximum apud alios honorem auctoritatemque sibi consecutus esse videatur. His prælibatis non est, quod miremur famosissimum nostro Seculo ROVSE-AVVIVM (b), qui introductionem dominiorum, originis stabilitæ inter homines statuum principalium diversitatis unicam fere caussam fuisse putat. Omnium gentium fere dixerim consensus et quotquot temporis omnia quaque alias conterentis iniuriae erepta sunt antiquitatis monumenta loquuntur divisionem universalis hominum in liberos et non liberos, quam non dari, fere impossibile esse, B. Boehmerus (c) comprobasse videtur. Tam sacræ paginæ quam profana rerum inter homines gestarum repertoria nobis adsunt. Servos suos habebat vetus Latium, et quis



quis est, quem fugit dominorum Romanorum crudelitas (sed suggesterit tamen antiquitas exempla contraria (d) in eos et arrogantia , qui Quiritium nomine tam mirifice sibi placebant, quique in familia sua tanquam in regno sibi regnare videbantur. Evolvamus, quicquid temporis iniquitatem et impiam monachorum pietatem subterfugit Germaniae nostrae monumentorum, et venerandos Maiores nostros homines suos proprios habuisse deprehendemus (e). Nos vero iam in eo sumus, ut materiem exponere periclitemur, quæ ab his, quæ iam iam disputavimus, haut multum aliena videtur. Operæ itaque pretium erit, inde a prima hominum divisione telam ordiri, quæ liberos et non liberos concernit (f) quorum posteriores sunt tales, qui alterius potestati dominice subsunt, priores vero, qui eidem non subsunt.

(a) SENECA hic hominem sociale animal vocat, qui in commune genitus sit. Quibus verbis adducti creditus, eum nihil aliud sibi voluisse, nisi indigitare principium, vi cuius actiones humanæ semper ideam perfectionis totius propositam habere debent. Huic sententiae vis accedere videtur ex verbis relativis: *hac lege et agat cuncta et exigat*: quippe quibus respexit esse videtur ad officia erga nosmet ipsos et ad officia erga alios eorumque collisionem, quam hac lege, scilicet quod in commune homines geniti sint, hoc est, ad scopum perfectionis respicere debeant, metiri iubet. Conf. III. G. I. Daries Instit. Iurispr. Univers. §. 304.

(b) An seculi mores carpere voluerit, anne vero potius ingenio suo aliquid modo indulserit, nostrum

B

non



non est, multis indagare. Saltim quod nos adduximus, pro more suo, id est, ingenuose exposuit, dans le Discours sur l' origine et les fondemens de l'inégalité parmi les hommes. II. Partie.

(c) In Diff. de prærogativis servitutum perpetuarum præ temporariis in Republica Cap.I. quam III. Ern. Christ. Westphal in Conspectu scientifico literario ad institutiones Heineccianas, pag. 50. ad servitudes, quatenus ius in re aliena sunt, retulit, cum tamen hoc pertineat.

(d) Audiamus mitissimum Romanorum C. PLINI-
VM CAECILIVM SECUNDVM, qui, quæ sequuntur,
humanissima verba de se ipse facit, in Lib. 8. Ep. 16.
*Conferunt me infirmitates meorum, mortes etiam, et
quidem iuvenum. Solatia duo, nequam paria tanto
dolori, solatia tamen: unum facilis manumittendi (vi-
deor enim non omnino immatuos perdidisse, quos iam libe-
ros perdidii) alterum, quum permitto servis quoque quasi
testamenta facere, eaque ut legitima custodio. Mandant,
rogantque, quod visum: pareo ocius; suis dividunt, do-
nant; relinquunt duntaxat intra domum. Nam servis
res publica quædam et quasi civitas domus est. Sed quan-
quam his solatiis adquiescam, debilitor et frangor eadem il-
la humanitate, quæ me, ut hoc ipsum permitterem, indu-
xit. Non ideo tamen velim durior fieri: nec ignoro, ali-
os huiusmodi easus, nihil amplius vocare quam damnum;
eoque sibi magnos homines et sapientes videri. Qui an-
magni sapientesque sint, nescio: HOMINES NON
SUNT. Homines non esse cives suos statuit ipse Pli-
nius, ipse Romanus, qui Romana in servos iura optimis rationibus fundata credunt, et quasi ex servorum
notione per se iam promanare. Videmus ergo quem-
admodum ipsi Romani de severissima Romanorum ser-*



servitute iudicarunt, aliter ac illa apud *Iuvenalem Sat.*
6, O DEMENS! ITA SERVVS HOMO EST?

(e) Nauseam veille exitare omnibus videremur hoc, ut fere fieri solet, multis probaturi. Glossam tamen accipiamus ad I. P. S. ita pronuntiantem: Es sind sonst keine andre Leute in der Welt, als Eigen und Freien. Ad hunc locum videri possunt ILL. DE SELCHOW, *Vir patrias res haut proletarie doctus in eleganti libello de iuri bus a statu ingenuitatis pendentibus Cap. I. §. 2.* porro Perill. L. B. DE SENCKENBERG in *Diss. de servorum conditio ne* §. 2. item HEINECCIVS in *ELEM. IUR. GERM. LIB. I. TIT. I. §. 21.* sgg. Cæterum libertatis notio erat respectiva et præter hic adductam, denotat quoque statum, quo quis militaris homo, ut stilo mediæ ævi loquar, erat, nec ministeriali conditioni obnoxius. Vid! ILL. DE SELCHOW l. c. ubi scriptorum testimonia larga manu adducit. Nec minus veniebat vox libertatis ita, ut significaret talem, qui militari iam cingulo cinctus militiam faciebat. Qua de re præter alios, quos hic inferre alienum est, vide, sis, laudatissimum DE SELCHOW in *ELEM. IUR. GERM. PRIVAT.* §. 226. et 236.

(f) Non dixi simpliciter servos, cum non omnes, qui in respectu ad dominicam potestatem non sunt liberi, non statim sint servi. Hæc Romana sunt. Servus apud Romanos longe quidaliud est, ac ens in aliis Rebus publicis illi fere simile. v.c. apud nos homo proprius, qui TACITO teste Cap. 25. *proprios suos penates regebat.* Huic enim qui notionem servi Romani tribuit, dicit, quod dicere nec vult nec potest. In notis §. sgg. de peculiari utriusque differentia dicendi occasio erit. Interim conferatur *vastæ eruditio* Vir I. G. ESTOR in *Commentario de Ministerialibus.* pag. 125. et I. H. BOEH-



MERI *Diff. de iure et statu hominum proprietorum a servis Germanicæ non Romanis derivando, etc.*

§. II.

Mittamus iam non liberos quippe ab instituto nostro alienos et liberos magis determinando ulterius descendamus. Hi enim in Germania olim abibant in tales, qui libertate a parentibus utriusque linea, primi et secundi gradus ingenita (a) fruebantur, et quibus hoc non dederat fatum (b). Piores dicebantur *Ingenui*, posteriores *Libertini* dicti. Caeteroquin notandum, illis in legibus medii avi denominationem der *Semperfreien* (c), der *Schöppenbarfreien* (d) quid? quod der *Höchstfreien* (e) his vero der *Mittelfreien* collatam fuisse.

(a) Auctoritate *III. de SELCHOW commotus Ingenuos ita definivi. Vir laudatissimus in libello cit. Cap. I. §. 3. eandem suppeditat vel ex ipsis veteribus Germanorum legibus construetam multisque vel classicis, Viris probatam. Spec. Svev. Cap. 49. ita: Welch Mann von seinen 4 Ahnen, das ist von seinen alten zweien Müttern, und von seinen altervätern und von Vater und Mutter unbescholden ist in seinem Recht, den kan Niemand geschelten an seiner Geburt, er habe denn sein Recht verwürckt. Hæc sunt verba Speculi, quæ ad Ingenuos non pertinere, qui adfirmsit, invenimus neminem, nisi a stilo et loquendi ratione Germanicæ mediae alienum. Vide, sis, insuper I. P. S. Lib. I. Art. 51. quamvis *III. GEBÄVER* in eleganti Programmate de libertinitate veterum Germanorum ad Cap. 25. Taciti de moribus Germanorum, secus sentire videatur.*

(b) At-

(b) Atque LIBERTORVM seu LIBERTINORVM notio, (prout vel ad Rempublicam vel ad priorem dominum spe&tas, vid, GEBÄVER c. I. §. I. L. d.) haut parum cautionis habet. Scimus equidem, Viros eruditionis laude cæteroquin celeberrimos ita plerumque concinnare Liberti notionem, ut forte adhærenti illis adhuc notione GAJI in leg. 6. ff. deflat. hom. adducti hominem non liberum, qui apud Romanos solos servus audiebat, per manumissionem solam LIBERTVM fieri potest. Verum hic statum servilem amittendi modus non est unicus. Prospiciamus enim ad tempora illa, ubi permulti homines proprii alias ex urbibus exules in Germania,

qua derementionem faciunt POTTGIESER de conditione et statu servorum Lib. 3. Cap. 18. §. 5. WALCHIVS in Diff. de homine proprio ciuitatis experte §. 18. Ill. de SELCHOW in saepius cit. libel-
lo Cap. I. §. 12.

urbium flore, lauta et opipara ibidem vivendi ratione inescati (illustrationis causa conferatur L. 26. Cod. de Decur. L. 63. Cod. Theodos. de Decur. L. 12. Cod. Theodos. de Veteran. Nov. 123. Cap. 35.) dominis auffugiebant, et, ut ciuitate donarentur, simulatam prætendebant libertatem. Horum auffugarum cum in dies cresceret numerus, et urbium incolæ urbis splendorem has serviles personas recipiendo obscurare, multominus civium numerum easdem eiiciondo iterum deminuere nollent: factum est, ut plerisque urbibus privilegium datum, quo cautum, ut eiusmodi homines proprii, si per determinatum anni aut annorum spatium quietam ciuitatis possessionem exercuissent, urbe non eicerentur, sed potius plane vindicarentur in libertatem. De hac re in incrementum urbium forsan permisiva vide RIC-



CIVM de Praescriptione Germanorum. per tot. ut et saepius in medium prolatum doctissimum DE SELCHOW in Elem. Iur. Germ. priv. §. 313. Cæterum, quid hic aliud cernimus, ac homines in Germania non liberos, qui homines proprii dicti, per præscriptionem extinctivo-acquisitivam, quam tamen celeberrimus ille sagax patrum rerum perscrutator Perill. L. B. de SENCKENBERG in cit. Diff. §. 13. licet me quidem iudice satis inconcinne, tacitam (*Cur non potius coactam*) manumissionem vocat, in libertatem se vindicasse. Sic duo, servitutem amittendi modi apud Maiores nostros possibles fuere: manumissio scilicet et præscriptio extinctivo-acquisitiva. Ex his ergo simul patet, notionem Liberti Germanici, de hoc enim tantum nobis sermo est, non unius alteriusve limitibus recte posse circumscribi. Præterea ne dicemus quidem, ex definitione Iugenui hoc in §. posita tertiam adhuc efflorescere rationem sententiam hancce nostram corroborantem. Etenim Ingenui dici potest est demum, qui ad tertiam generationem Maiores liberos probare potest, quod et E. F. KNORRIVS Friedericianæ Antecessor in Diff. sua inaug. de probatione Nobilitatis per instrumenta ab initio statim, affirmat. Qualis est itaque eius parens? Ingenui non est per definitionem. Sic adhuc Libertinus. Quomodo est vero talis factus? Non per manumissionem è præscriptionem illam, pater enim iam erat Libertus. Hinc tertius modus, quo quis sit Libertus, est quaque generatio. Nec minus ex his modo allatis videamus, notionem Libertini ex manumissione sola efformatam suis rationibus minime constare.

(c) I. P. S. Lib. I. Artic. 2. SCHILTERVS ad I. F. A. Cap. I. §. 18. pag. 35. L. B. de SENCKENBERG in Diff. de ordinibus exercitus Germanorum, §. 16. sub finem.

(d) I.

(d) I. F. S. Cap. I. quod, dum VII. clypeos militares
Maiorum nostrorum recenset, dicit: Schöppenbar Leute
und deren Manne den zten, ad quorum verborum sensum
intelligendum notes velimus, neminem nisi Ingenuum
armorum et militiae capacem fuisse, de quibus infra plu-
ribus. I. F. A. Cap. I. III. G. L. BOEHMER in Progr.
de Ingenuorum natalium probatione §. 6. sqq. Atque ne-
minem nisi Ingenuum Scabinorum honoris capacem
fuisse, evictum quoque dedit Vir supra omnem no-
stram laudem constitutus III. STRUBEN in den Leben-
stunden Tom. 3 pag. 131. sqq.

(e) I. P. A. cap. 49.

(f) Quod verba I. P. A. cap. 49. cit probant, que-
ita audiunt: Ingenuus das spricht in Latein der Höchstfreien,
und Libertinus Mittelfreien. Conf. insuper Spec. Alem.
Cap. 18. Conferamus nos hic ad Perill. L. B. de SEN-
CKENBERG. Huic in Diff. de ordinibus exercitus
Germanici §. 17. Spec. Aleman. quam maxime stom-
achum movet, cum Cap. 18. Libertos Mittelfreie, dicit.
Quamvis vero in eadem Diff. §. 10. SCHACKWI-
TZIVM in Diff. circa vexatam illam de VII. clipeis mate-
riam, in eadem hac materie summa imis miscere affir-
met, ipse tamen æque contentus est, si sine ulla senten-
tiae suæ probatione §. 17. n. a.) in Spec. Alem. ita
præceps fertur: eos enim Libertinis accenſet (scilicet Spe-
culum) hoc vero est stultescere, non nugari. Stultescit au-
tem ex axi more, ubi Ingenuus erat Baro, licet multis
modis Romano Ingenuo diffimilis. Licet itaque Perill.
Adversarius Libertinis denominationem der Mittelfreien
prorsus deneget, ex adducto tamen §. 17. nondum
videri licet, quosnam alios Vir summus sub Mediocri-
bus intellectos velit. Forte in animo habuit Ingenu-

QS



os militares, quibus nec minus, sed diversa relatione, hæc denominatio contigit. Quæ res itaque cum logomachiae obnoxia sit, de ea paulo accuratius videamus, ita præcelluri, ut principio existentiam facti, quod scilicet utriusque hæc denominatio attributa sit, deinde vero etiam, quomodo id sine contradictione fieri potuerit, ostendamus. De libertis id iam iam probavimus. Supersunt Ingenui militares. Prodeat itaque Annalista Saxon apud Eccardum p. 243. ita sribens: *ex Gallia Principes confluunt, mediocres etiam multo favore conueniunt.* Subiungamus statim *P E Z I V M in Scriptor. Austr. Tom. I.* et quidem in Chronico Salisburg. p. 368. ubi mentio fit *Militarium Minorum de Weisbach*, a quibus p. 409. curate fecerit *Ministeriales* aliosque. En! testimonia fide dignissima, quibus Ingenui militares expressis verbis, Minores, Mediocres, id est, vernacula lingua *Mittelfreie*, vocantur. Sed ulterius hæc asserta perlustremus. Apud Eccardum adducto loco Principes sollicite distinguuntur a Mediocribus. Sola itaque superest quæstio, quinam illi Principes fuerint, quinam illi Mediocres? Sed omni supersedere possumus anfractu, dum quilibet, qui aliqua tantum patriarcharum rerum notitia imbutus est, satisuperque cognitum habet illius ævi morem, cum Nobilibus veteribus variae denominations tribuerentur, quæ tamen non nisi unum, idemque denotabant. Sic mox Ingenui et Liberi *nat i^εoxn*, mox liberi Domini, mox Principes vocantur. Confer. *Felix MALLEOLVS de Nobilitate Cap. 14. BRVNO de bello Saxonico apud FREHER. Tom. I. Rer. Germ. p. 179. edit. nov. Ius Alem. Prov. autem.* ita: Hier soll man mercen dreyerley freyen Leute, welche recht die haben. Es heissen eins semper freyen, das sind die freyen Herren als Fürsten, und die andern Freyen zu man haben. Das andre sind Mittelfreyen, das sind die der hohen Freyen man

man sind. Das dritt sind, die freygebohren sind, die heissen
seyn Landfassen! Principes itaque hi nostri cum Nobiles
sint; porro quæritur, quiram illi Medicores? Statim
nobis auxilio est locus Pezii, qui respondet, eos Inge-
nuos militares fuisse, dum de Ministerialibus in se-
quentibus separatin loquitur. Sed dixerit quispiam,
cur non libertini, hi etiam Mediocres vocantur? Huic
statim occinimus illud vulgatissimum Taciti nostri Ro-
manis semper Germanica comparantis, Cap. 25. Liber-
ti non multum supra servos sunt, raro aliquid momentum
in domo, nunquam in civitate. Et quis est, cui non con-
stet, a militia, omnes, qui non Ingenui in sensu latiori
(de horum divisionibus paullo post) erant, exclusos.
fuisse, adeo, ut inde Ingenui in specie sic disti, qui
non Ministeriales erant, Militares κάτι εξοχήν cognomi-
nati sunt. Satisfecimus iam quæstiōni An? nunc ve-
ro, qua ratione utrique denominatio der Mittelsfreien
sine contradictione collata fuerit, exponemus. Inge-
nuī nexus, qui intererat inter ipsum, Nobilem et Mi-
nisteriale, Liberti conditio; quæ ipsum ab hominibus
propriis et Ingenuis in sensu latiori sumtis distingue-
bat, huic differentiæ suppeditant rationes. Etenim
primo ad Ingenuos militares quod attinet, ii erant in-
termedii, ut ita dicam, homines inter veteres illos
Nobiles et Ingenuos Ministeriales. Nam si ad Nobiles
respicis, fere nullos alias conspicis, ac dominos bono-
rum allodialium, quæ nexui feudali haut suberant. Si
dein ad Ministeriales te confers, non offendis solum
eos, qui gravi obnoxii erant obligationi, sed et quo-
rum insuper conditioni in relatione ad alios Ingenuos
aliqua macula servilis adhaesit. Postremo vero, si In-
genuos militares ipsos consideras, eorum quidem con-
ditio plane adstricta non erat, nec macula servili labo-
rabant,



rabant, nexui tamen feudali *plerumque* suberant, nec possidebant allodialia bona. Ex his evidentissima nascitur ratio, ob quam Ingenui militares ob statum intermedium inter Nobiles et Ministeriales omnino Mittelfreie vocari potuere. Sed quid de Libertinis dicendum? Provocamus iterum ad Taciti locum supra allegatum. Libertini, quippe libertatem affecuti, non amplius erant quidem servi Germanici, id est, homines proprii, non tamen cum libertate Ingenuitatem illam Germanicam assequebantur, qua Venerandi Maiores nihil antiquius habuere, nihil prius. Ius militiae, sumum illud ius iis interdictum erat, nec munera, five to-gata five sagata gerere unquam poterant. Hinc cuiilibet patet, qua ratione et hi Mittelfreien, dici potuere. Scilicet intermedium hominum genus erant inter homines proprios et Ingenuos in sensu latiori sumtos. Confer. *Ill. GEBÄVER in Progr. de libertinitate veterum Germanorum* supra cit.

§. III.

Ingenui (a) olim erant vel tales, qui prærogativa sanguinis hereditaria præ aliis in Germania ordinibus eminebant, (b) vel non: (c) illi Nobiles seu Adalingi, (d) hi Ingenui in specie sic dicti (e) appellantur.

(a) Quamuis haut ita necessarium, adducere tam eu juvat *Ill. GEBÄVERVM* in cit. *Progr.* §. 2. sub. (a) laudato §. 1. sub d) qui expressis verbis dicit: - - Ab altero genere Ingenuorum, sub quibus etiam Nobiles continebantur. Nobis vero etiam comparatio notio-num Ingenui in genere et Nobilis in specie iam facit fatis.

(b) No-

(b) Nobilis definitio lubrica videtur plerisque. Sunt, qui Nobilem plane definiri non posse affirmant. Sunt, qui Nobilitatem, quatenus est virtus, in concep-
tum trahunt. Nec desunt, qui incommoda ista evita-
turi omnes Nobilium species, quae unquam existere,
in definitionem corradunt, logices non curantes præ-
cepta. Ad postremos referri posse videtur *III. L. B. de
SENCKENBERG in Diff. delectus florum e iuribus Nobili-
tatis Germanicæ, inscripta, ubi §. 2. exhibet definitio-
nem veterum Nobilium omni mensura longiore, eam-
que ad munera extendit, que iis sæpius collata esse le-
guntur.* Sic de Burchardo Sveviæ duce nobis auctor
est **EKHARDVS de casib⁹ monasterii S. Galli Cap. I.**
Pariter id testatur doctissima sui temporis Sanctimonia
lis Gandershemensis **HROSWITHA**, de inclito Germa-
norum **REGE, HENRICO AVCVPE** antea duce, dum
de eius avo **LVDOLPHO** ita canit:

Hic pernobilium natus de stirpe parentum
Orus quique suæ respondens nobilitati.

Sic quoque Imperator **LVDOVICVS IV.** comitem
quemdam **STEPHANVM** dictum in diplomate quo-
dam, quod **SCHANNATVS** Trad. Fuldens. interseruit
pag. 220. Num. 543. Nobilem adpellat. Verum si quod
res est, dicendum, hoc essentiam Nobilis non ingredie-
batur, sed ad summum erat positio, quoad Nobiles ple-
rumque vera. Hinc nec minus etiam a me impetrare
possum, ut in **E. F. KNORRII** sententiam abeam, quam
in definienda Nobilitate l.c. §. 2. prodit. Prodeat enim
in medium illustris ille et agitatus **TACITI** locus. Cap.
25. ubi: *Liberti, inquit, non multum supra servos sunt,
raro aliquid momentum in domo, nunquam in civitate ---
EXCEPTIS IIS DVNTAXAT GEN TIBVS, QVAE
REGNANTVR. IBI ENIM ET SUPRA NOBILES*

C 2

ET



E T I N G E N V O S A S C E N D V N T. *Apud caeteros impares Libertini libertatis argumentum sunt.* Ad hunc difficillimum locum, qui non parvum crucis fixit quandoque interpretibus, consule illos, maxime vero *Ill. GEBAVERVM* in cit. Progr. quippe in cuius interpretatione præcipue probatio nostra nititur, et quidem Cap. V. ab initio et Cap. VI. sub finem, ubi Vir celeberrimus elegantissime ostendit, ipsos adeo Regum libertos munera alias Nobilibus fere propria ambiisse, quid? quod nactos esse. Et quid plura? Omnia fæculorum prævitatis in nostram sententiam iurat.

(c) Huic notioni nostræ, quamvis virtute tantum verborum ealculum adiicit Knorius I. c. §. 2. Schol. 8. ut et *DE LEIPZIGER de origine Nobilitatis diplomatiæ* §. 1. §. 7. Galli hos Ingenuos vocabant equites, vel potius *IVL. CAESAR* ita illos adpellat in Libro VI. de bell. gall. Cap. IV. V. XIII. Scrupulum nescio quem sibi circa hunc ultimum locum singat *Ill. ESTOR.* eius *Commentarii de Ministerialibus* Cap. 5. §. 249. exhibent. Ingenuos vero in specie dictos omnino ab illis Nobilibus distinctos fuisse, evincit idem librum modo cit. Cap. 5. §. 262. sqq. solita eruditione contra *BVRGEMEISTERVM* rotum illum communis sententiae debellatorem.

(d) Etymologiam huius vocis agitantium, fere dixerim, numerus haut pârus esse posset in promptu. Ast ne omne nimium vertatur in vitium, in medium tantum producamus *Ill. L. B. de SENCKENBERG in Diff. delectus florum etc.* §. 2. Schol. 4. qui a vetereocabulo, *OD, ALLOD, ODELMANN, EDELMANN, AEDALINGVM*, derivat, cum possessio bonorum alodialium maxima fere esset veterum Nobilium prærogatiya, quippe quod omnes uno ore loquuntur.

(e) Ta-



(e) Tacitus dividit omnes omnino in Germania homines in NOBILES, INGENVOS, LIBERTINOS et SERVOS. Sic VELLEIVS PATERCVLVS notum illum ARMINIVM vocat IVVENEM NOBILEM. Apud Frisios hanc hominum divisionem obtinuisse lex Fris. Tit. 15. De Saxonibus hoc prodit WITTE-KINDVS CORBEIENSIS Lib. I. apud MEIBOMIVM Tom. I. p. 634. De Francis idem refert GREGORIVS TVRONENSIS in vitis patrum Cap. 9. Cavendum tamenne illos Nobiles cum hodiernis ~~near~~ ^{et} ~~ex~~ sic dicas confundas.

§. VI.

Posteaquam Ingenuorum divisiones in primo divisionis gradu vidimus, ad earum quamlibet ulterius progrediamur. Ad nobiles itaque referebantur Duces (a), Comites (b), Barones seu Dynastæ (c): ad ingenuos in specie sic dictos vero Ingenui militares (d) atque Ministeriales (e). Hoc iam in Scholiis accuratius perlustremus.

(a) Non desunt quidem, quæ ad illustrandum hoc referri possent, sed cum, quæ iam §. præc. Schol. (b) dicta sunt, et hic sufficiant, nihil amplius addimus.

(b) Hoc nec minus ex Schol. (b) §. præc. palam fit, et præterea inter omnes constat, has Ducum et Comitum denominationes, olim titulos tantum honoris ac muneris fuisse, quam ob rem itaque longiore probatione non opus esse videtur. Confer. tamen iterum si placet, Perill L. B. de SENCKENBERG in cit. Diff. delectus florum etc. §. 2. Schol. (b) et B. G. STRUVIVS in Elem. Iur. Feudal. §. 58.

C 3

(e) Ba-



(c) Baronum seu Dynastarum notionem suppeditat B. G. STRVVIUS l. c. satis aptam. His natales erant cum Ducibus et Comitibus pares, nisi quod non eosdem honores gererent. Præterea sunt Dynastæ quasi ut genus considerandi, cui Duces et Comites tanquam ut species subordinati erant. Ita posuissimus fane, nisi ratione totius, Nobiles pro genere sumere coacti fuissetus. Dynastarum bona plerunque mera allobodia erant, quamvis interdum quoque iis Feuda contigerint. *Vid. GVNDLINGIVS de Feudis vexilli in Opusc. Tom I.* Ex his Dynastis seu Nobilibus, qui olim liberi Imperii domini dicebantur, plurimas Statuum Imperii domus ortum suum trahere, quis est, qui ignoret. Sic inclita Guelfforum gens, quam ad istos Barones seu Dynastas refert immortalis L. B. de LIBERNITZ in *Introductione ad Tom. I. Scriptor rer Brunsvicensi*, progenuit augustam Ducum Brunsvicensium familiam. Pariter Hassia Langraffii eodem initio gaudent. Et quid dicam demum de Dynastis de Hohenzollern? Hæc celerrima domus faustis liquidisque auspiciis sceptrum Borussicum amplexa est. O felices et plus quam satis felices, quibus fortuna dederit, sub augustissima hac progenie, sub dignissimo Regum suam degere vitam! Caeterum antequam materiem de veteribus illis Nobilibus relinquo, paucis duco monendum, a nobis non exspectandam esse longam fabulam de Nobilitate Romana, cum nos quidem hic Germanicam tractemus, ad quam Romana nihil quod illam illustrare possit, conferre videtur. Quem vero animum fumosis Romanorum imaginibus pascendi vellicat pruritus, is audeat Anton. MATTHAEVM de Nobilitate: qui vero huius rei compendium querit, evolvat vastæ eruditiois Virum I. G. ESTOREM in Comment. de Ministerialibus Cap. V. §. 237. sqq. de his antiquitatibus

pro

pro more suo, id est, ingenuose exponentem. Huic, si Dis placet, adiungat E. F. KNORRIVM qui in sua Diff. inaugurali etiam I. §. de Nobilitate Romana mori consecravit. Huius lepidi moris semper in tractatione rerum Germanicarum præmittere, si quæ his similia Romana existunt, parentes sunt isti ~~quamvis~~ ^{contem} præfertim, et tum quoque ille celeberrimi Viri, qui in eo Iurisprudentiam emendari somniabant, si in quovis argumento utriusque iuris differentia unice et plus quam satis est agitaretur, quorum tamen commemorationem ut ut notissimorum silentio pretermittimus. Ut vero e diverticulo in viam redeamus, apud nos talia iam frustra quæsiveris, cum nos mori quamvis morosum sit animal causa non svadente non mancipemus.

Audias POETAM.

*Disce nec externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor: cognata ministrat
Laus animos. Aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur: TV DISCE PATRES.*

(d) Quæ in hoc Schol. monenda, cum iis, quæ in sequenti dicenda erunt, ærtissime cohærent, cum utrumque de Ingenuis in specie sic dictis disputeret. In hoc ita rem tractabimus, ut, postquam, qui fuerint Ingenui militares, quique Ministeriales, quoque nomine inter se discreparint, ostenderimus, inoffenso dein pede ad sequens progredi possimus, Ingenuorum natales Ministerialibus inibi vindicaturi. Distinximus utrumque Ingenuum in hoc §. non quasi peculiari ordine ac statu quivis fuisset, cuius intuitu esset absurdum; sed in eo differentia capienda, quod uterque diversissimis obligationibus diversimoque modo implendis esset obnoxius. De hisce iam videamus. Inter omnes liquet, aliam olim vix gentem.



gentem fuisse bello armisque magis adsertam ac quidem Germanos, quoinde etiam obligatio ad arma gerenda Maioribus quasi innata dici potest, qua de re in sequenti §. pluribus. Verum cum Germanica olim una gens in plures scinderetur, cumque plures populum suum separatim regentes exsurerent, atque unius gladius contra alterum stringeretur, non poterat non exulare communis illa bellica virtus, et quilibet, prout poterat, se defendere tenebatur. Turbida hac tempestate, cum non amplius in commune ageretur, et quilibet sequeretur, quod sibi expedire videbatur, cogitandum erat de variis homines sibi obnoxios faciendi mediis. Hinc enata sunt beneficia pro operis militibus concessa expost conversa in Feuda, et hinc quoque Ingenuorum militarium natales, simul vero etiam hos inter et Ministeriales diversitatis primordia repetenda mihi videntur. Proceres scilicet Ingenuos ad servitia militaria sibi exhibenda largis beneficiis invitabant, quae sequenti tempore hereditario modo possidere et horum intuitu tantum servitia ista praestare ceperunt. Confer. *Ill. Georg Ludw. BOEHMERI* perelegantes *Observationes Iuris Feudalis*, quae haut ita pridem in uno fasciculo coniunctæ lucem viderunt Goettingæ, inque iis *Obs. II. de Feudis e Francorum beneficiis enatis.* Hi illi sunt, quos media ætas Ingenuos *κατ' εξοχὴν*, militares vocavit, nimirum sunt INGENVI IN SPECIE SIC DICTI, QVI REALITER MEDIANTE FEVDO AD SERVITIA MILITARIA PRAESTANDA OBLIGATI ERANT. His statim adiungamus Ministerialium definitionem, ut opposita iuxta se posita magis illucscere possint. MINISTERIALIS itaque est INGENVVS IN SPECIE SIC DICTVS, QVI CERTA OFFICIA NON MILITARIA HEREDITARIO MODO MEDIANTE BENEFICIO TANQVM



QVAM SALARIO PRAESTARE PERSONALITER
OBLIGATVS EST. Cum enim tam in aula Proce-
rum essent, quam etiam in iudiciis, quæ aliis tradi de-
bebant, non conduictio modo sed arctiori nexo sibi ob-
ligabant eos, quibus ista collata vellent. Summae dif-
ferentiæ inter Militares et Ministeriales huc redeunt,
quod I. illi ad militiam hi non, obligati essent: quod
illi II. realiter, hi personaliter, id est, illi solius Feudi
intuitu, hi non nisi ex obligatione personali servitia
sua præstarent. Hinc fluit quoad I.) si et Ministeriales
militiam fecisse leguntur, id eos non ut Ministeriales fe-
cisse, sed quia vel mediante Feudo simul militares
erant, vel ex innata Germanis virtute fortunam bellum
cam periclitari audebant. Quoad II.) inde patescit,
Militares amissio Feudo e nexus clientelari exiisse, et sic
Feudi possessionem ad essentiam militaris conditionis
pertinuisse, id quod in Ministeriali longe fecus. Bene-
ficio ademto manebant Ministeriales et sine illo cede-
bantur. Milites renunciare poterant fidei vasalliticæ
Feudumque refutare, Ministeriales contra eam non po-
terant suis se obligationibus abdicare. Et quia Milita-
res ad militiam, Ministeriales vero ad officia extra mi-
litiam, quæ magis honorem aulae concernebant, obliga-
ti erant, nec minus inde palam fit, ibi non admittas esse
feminas, bene vero hic, nam et Ministeriales feminas
vidit medium ævum, *Conf. Ill. G. L. BOEHMERI Obs.*
cit, inque iis II. dam de femina Ministeriali. Hæc de dif-
ferentiis, quæ Ingenuum militarem et Ministerialem
intercedebant, dixisse sufficiat. Plura si quis desideret,
eum ablegare nobis liceat ad *Ill. BOEHMERI* nun-
quam satis laudandas Observationes, ubi *Obs. IV.* de in-
dole fidei vasalliticæ, eiusque a ministeriali fidelitate discri-
mine, instar consummatissimi elegantissimique commen-
tarii ad hoc Schol. esse potest.

D

(e) Sup-



(e) Suppeditata Ministerialium definitione et expositis, quantum sat erat, differentiis inter hos et Ingenuos militares: iam præmissis potioribus Ministerialium divisionibus, Ingenuorum in specie sic dictorum natales iisdem vindicare allaborabimus. Erant enim vel proprie vereque sic dicti Ministeriales, vel non. Hi erant, qui vulgo Regni seu Regii vocabantur, quique a proprie sic dictis ita diversi erant, ut vox *Ministerialis* iis perperam, sicut non in sensu technico, quo hic adhibetur, sed grammatico tribuatur. Quod docet ESTOR in *Commentariis Cap. I.* §. 18. et finitimiis, rationibus haut a via defumtis, quibus et hic fidem habemus. Illi proprie dicti Ministeriales erant vel ecclesiistarum vel Nobilium. Hi erant Ingenui omnes, illi Ingenui plurimi, Nobiles pauciores. Quid enim tunc temporis non poterat supersticio? Vid. ESTOR in *Commentariis Cap. 6.* §. 305. *sqq.* Jam ad alterum huius Scholii caput progrediamur. Quis est, cui non constet, doctrinam de Ministerialibus iam dudum inter eruditos pomum Eridos suisse, et discrepantes sententias IOANNIS GEORGII ESTORIS, IOACHIMI GEORGII DE PLÖNNIES, ADAMI FRIDERICI GLAFEY et IOANNIS SALOMONIS SEMLERI nescit nemo. Ministeriales ad Ingenuos in specie sic dictos iure meritoque retulimus. Quamvis enim ESTOR in elegantissimis cæteroquin *Commentariis* et absconditæ eruditiois plenissimis §. 74. usque ad 89. eorum originem ad Libertos, quamvis teste, referre haut erubescat: de eius sententia tamen plane non sumus convicti, cum nec desint in contrarium argumenta nec classicorum Virorum auctoritas. Nam ipse ESTOR *I. c.* §. 227. concedit, Ministerialibus adicatum patuisse ad ludos equestres et torneamenta, ergo et necessario eundem Libertis concedere debet: sed hæc ad præcipua Ingenuorum in specie sic dictorum et Nobi-



Nobilium iura pertinuisse, quis est, qui nesciat. Vid.
DE SELCHOW in *Elem. Iur. Germ. priv.* §. 259. ipse
Estor. §. cit. *Schol. ult.* ubi verba Gundlingii hæc pro-
bantia infert, quæ tamen e re sua explicat. Deinde
Ministeriales in iudicio stare potuisse, quid? quod iu-
dicium Parium curiæ formasse, etiam largitur ESTOR
l. c. §. 215. hæc vero nec minus ad Ingenuorum præro-
gativas pertinebant, ut docet de Selchow in cit. libello
de iuribus a stat. ingenuit. pend. Cap. 2. §. 47. hoc ta-
men æque Ministerialibus licuit, quippe de quibus lo-
quitur lex a Viro doctissimo loc. cit. allegata. Hæc
omnia, cum non Libertorum sed Ingenuorum præro-
gativæ sint, a nobis non possumus impetrare, ut in ESTOR
sententiam abeamus, cum eo ipso Nobilitatem
nostram inferiorem a Libertis ex parte derivare debere-
mus. Statiimus itaque gravissimis hisce adducti ratio-
nibus, Ministeriales Ingenuos fuisse. Nobiscum ho-
norifice de Ministerialibus sentiunt DE SELCHOW
Elem. cit. p. 172. et 387. multisque sequentibus. SCHER-
DIVS in den Historischen und Diplomatischen Nach-
richten vom Adel pag. 105. 177. et passim. Quamvis
itaque Ministeriales adstrictiori quodam vitæ genere
ad officia obeunda tenerentur, et itaque haut raro ser-
vi audirent: non tamen inde statim ad Reipublicæ sen-
tinam detrudendi sunt. Qui factum sit, ut Ministeria-
les esse desierint, exponit III. BOEHMERVS *Observ.*
IV. §. 5. 6.

§. V.

In militari Germania (a) omnes omnino Inge-
nui sive essent Nobiles (b) sive Ingenui in specie sic
diqt, hique sive essent Militares (c) sive Ministeria-
les (d), erant ad militiam obligati et nati. Libertini
vero armorum incapaces erant (e).

D 2

(a) Ita



(a) Ita iure meritoque dicitur ab iis, quibus gloria
Maiorum curae cordique est, patria, quæ heroica de-
mum virtute et rerum gestarum magnitudine efficiebat,
ut eius fama ad exteras gentes perlaberetur. *Conf. de
SELCHOW libello sape cit. §. 28. et 34. et TACITVS de
mor. Germ. C. I.* Quis non vel primo intuitu ex **IULIO
CAESARE** intelligit, Tenetos equo fuisse expeditissimos,
et fortissimos illos Cattos, de quibus potissimum **TACITVS** videatur *I. c. Cap. 30.* pedibus excluisse. Invenimus adhuc in Hispania illustres domus,
quæ ex belligeris illis Germanorum Nobilibus originem
quam suam trahere iactitant. Et quid mirum de Germania
omnium fere gentium matre. Saltem Visigothorum,
qui olim, ut notum est, in Hispaniam demigrarunt, Germanicam originem vindicat **ESTOR** in Com-
mentariis *Cap. v. §. 260.* Larga manu adduci possent
tam exterorum quam domesticorum scriptorum testi-
monia, quorum priora eo minus sublestas fidei esse
possunt, quo magis æmulationem et invidiam præfe-
ferre præsumuntur, si quæ rerum gestarum monumen-
ta ab aliis profecta supersunt. Romani scriptores ex
gente oriundi Maioribus nostris inimica, non possunt
non eorum res gestas, bellicam virtutem et nunquam
violatam fidem summis evehere laudibus. Etenim
præter eos, quos iam in limine huius Scholii in medi-
um tulumus, idem **TACITVS** in annal. *Lib. XIII. Cap.
34. §. 5.* inquit, nulli mortalium armis aut fide ante
Germanos sunt. Sed non est, quod miremur, maio-
res nostros in virtute bellica omnibus aliis gentibus
palmam præripuisse. Erat scilicet dogma religionis ve-
terum Germanorum pariter atque aliarum gentium,
quæ septentrionales regiones inhabitabant, quod nemo
nil nisi rerum in bello gestarum laude illustris et cruenta
morte vita privatus in coetum beatorum reciperebetur.

Læta-



Lætabundi ibant in proelium, summa cum voluptate
oppetebat mortem, ex Druidarum doctrinis certissimi,
non nisi hoc modo sibi patere ODINI regnum, non
nisi hac via se ad WALHALLAM pervenire posse.
Omnium, quantum scimus, doctissime elegantissime
que rem exposuit doctissimus SCHV TZIVS in nun-
quam satis laudando libello, qui inscribitur: Lehrbegrif
der alten Deutschen und Nordischen Völker von dem Zustan-
de der Seele nach dem Tode, quique legendus relegendus
que est iis omnibus, qui solida iucundoque stilo scripta
de Maioribus nostris legere cupiunt. Inde iam nos ea
quidem, quæ huc faciunt, delibabimus. Vir doctissi-
mus ex variis Septentrionalium gentium vetustissimis
monumentis ostendit, fortissimis quibusque propriam
post mortem gaudii lætitiæque plenam commoratio-
nem destinatam fuisse, quæ WALHALLA dicta fuerit,
iis vero, quorum animis non paterna sedebat virtus, or-
cum quemdam, NIFFELHEIMVR dictum, paratum fu-
isse. Illi beatitudinis sedi præerat Deus ODINVS, qui
itidem rerum gestarum magnitudine sibi aditum ad hunc
locum aperuerat. Iis, qui naturali morte obierant,
WALHALLÆ portæ æternum clausæ erant, quoinde
itaque factum, ut canissimi senes, quibus non contige-
rat suam inter hostes amittere vitam, cruentissimam
sibi ipsis mortem darent, vel senectute nimium confe-
sti ab amicis aliisque dare paterentur, quominus bea-
ta Dei Wodin et strenuorum Maiorum consuetudine
privarentur. SCHV TZIVS c. I. Cap. 2. §. 37. Ap-
propinquante morte omnia terricula menta evanesce-
bant, acerrimique dolores non poterant infringere
animos, qui ad maiora adspirabant, quique ultimam
eamque summam voluptatem inter vivos sibi sentire
videbantur. Pace allegati auctoris liceat mihi hæc ex
eius scripto pag. 240. illustri exemplo LODEBROGII

D 3

CORRO-



corroborare, qui capit is damnatus paulo ante cruentissimam mortem ita canit;

Syter eigi drengr vid bauda
Dirz at fiolnis Husum
Eigi kem eck met ådru
Ord tit Vibris hallar

h. e. hodierna

Ein tapferer Mann seufzte nicht wider den Tode
In den Wohnungen des großmächtigen Odins;
Ich komme nicht mit verzweifelnden Worten
Zu des Odins Pallast.

porro

Lifs ero libnar stundar
Läjande skal eck degia

h. e. hodie.

Die Lebens-Stunden sind verflossen,
Lachend will ich sterben.

Ipsum ODINVM faciamus loquentem praeunte Sæ-mundo apud auctorem nostrum. Describit WALHAL-LAM ita:

Gladsheimr heitir inn simti
Pars er gullhiarca
Valhaull vid of prumir
En par Hropr kys
Hverian dag
Wapnbauda vera,

hodie



hodie ita:

Die Freudenwelt ist die fünfte Abtheilung,
Wo von Golbe glänzend
Die Walhalla auf Seulen ruht!
Da nimmt O D I N V S
An jedem Tage
Die durchs Schwert erschlagenen Helden auf.

Iam videamus, qua in re consistat lætitia Walhallæ.
Continuare ibi credebant Maiores ceptam in terris vo-
luptatem. Auctor noster morientem H ADDING V M
pag. 300, ita inducit loquentem:

Sia kan eg fogdsfaber Fiolnis Mejar
Yber hefir mer Odin sendar
Will ab gladur i Bingolf folga
Ock meh Einherium øl drecka.

ad hos versus intelligendos scias necesse est, Ma-
iores somniaſſe, VIII. angelos feminini generis,
Valkyriur dictos, destinatos fuſſe ad heroes in
Walhallam deportandos et ad ministeria ibidem
ipſis præſtanda. His præmissis ita redi poſſunt:

Sehen kann ich sterbend des Odins Mädchens.
Euch hat der Odin zu mir gesandt,
Fröhlich will ich euch in die Walhalla folgen,
Und daselbst mit den großen Helden trinken.

Ex his credo, satis superque apparebit, obligationem
ad Fortitudinem, primariam atque principalem fuſſe
inter omnes, quibus se Maiores obſtrictos censebant:
eamque vero quam maxime universalem fuſſe vel in-
de pa-



de patet, quod tanquam dogma religionis iis iam inde ab incunabulis a Druidis inculcata fuerit. Non humanis legibus ad fortitudinem compellebantur Maiores, non largis stipendiis invitati pugnabant acriter, sed divinis legibus obsequium praestabant, interne convicti, inde tantum obligationem hancce derivandam esse. Hæc pauca adiungere nobis liceat, exarari haut invita Themide posse Dissertationem de Nobile milite nato: in qua multa haut quidem incognita, sed neglecta quodammodo, vera tamen, dici possunt.

(b) Probare iam nobis incumbit, Nobiles veteres pariter ac Ingenuos in specie sic dictos bello ac armis ad dictos fuisse. Prodeat hunc in finem LOVIS CHANTEAVE LE FEBVRE, qui dans son traité de fiefs et de leur origine, pag. 143. sententiam nostram confirmat. Ille loquitur generaliter, dum voce,, liber utitur, quæ vox vero in doctrina de Nobilitate Germanorum multum cautionis habet, quæ vero hic in eo sensu sumenda videtur, ut eos liberos indicet, quatenus hominibus proprii opponuntur, sicut sub se comprehendat, et Nobiles et Ingenuos in specie sic dictos. Sed audiamus eum sic loquentem: *Les Francois estoient appelle Libres, à cause, que leur seul employ estoit de porter les armes, qui ne convient, qu'aux personnes libres.* pag. 141 ita: *Les Francois n'avoient point d'autre profession, que celle de porter les armes -- un homme libre n'eut osé meler de metier vile et mechanique.* Hæc generatim. Iam vero de Nobilibus speciatim. Sufficcerent quidem quæ Schol. (a) iam diximus. Sed quis est, quem fugiat, tanto vellicatos fuisse Nobiles nostros belli armorumque pruritu, ut successu temporis Principum ipsi filii maximo sibi honori ducerent, si militari cingulo ornati splendescabant. Hac de re vide-

at.

at. ESTOR in Observ. ad Commentationem Glafeyanam de Ministerialibus pag. 82. et 83. ubi exemplorum quasi catalogum sistic. Atque unde enata. quæ hodie in somum honoris titulum abiit. denominatio illorum BANNERVM. der edlen Banner; Herrn? quibus. si x. glavias virorum ministerialium (io. Helme wohlerzeugter. Leute) in hostem adducere poterant. solemniter a duce vexillum tradebatur. Vid. GVNDLINGIVS de Feudis vexilli. Cap. I. CARL DV FRESNE in Diff. ad Ioinvillam apud Pistorium in Amoenit. histor. iurid. Tom. V. p. 1358. Nobiles vero etiam expressa lege ad militiam obligatos fuisse. colligas ex Constit. LOVDOVICI PII apud BARONIVM Tom. IX. pag. 616.

(c) Quod multis comprobatur DE SELCHOW cit. libello Cap. 2. §. 28. ut et Ill. L. B. de SENCKENBERG in Diff. de deletu florum etc. §. 3. si scilicet eius interpretationem de clypeis sequimur. Sed. quod nos quidem videmus. in hac materie non facile adhibenda doctrina de VII. clypeis ob varias D. D. dissensiones. ex quibus nil certi deduci potest. Si enim THOMASIUS specula tanquam primarias huius doctrinæ sedes in coelum tollit: LUDWIGIVS eadem detrudit ad inferos. Muscos etenim ea vocat. putridor et putidos fontes. sputo diguiores. quam oculis et lectione ac quibus foedius. inquinatus. perditius. nugati. sultus nihil scribi potest aut fingi. Vid. eius praefatio ad Singularia iuris publici Cap. 2. §. 8.

(d) Sed iam Ministeriales tangit ordo. Ingenuorum natales iis vindicavimus §. 4. Scol. (e) ideoque non possumus non iis ea saltim in regula tribuere. quæ quoad cæteros Ingenuos de obligatione ad militiam diximus. donec exceptio doceatur. Sed adeo hæc

E

exce-



exceptio. Quamvis ad unum omnes Germanos obligatio ad fortitudinem atque res in bello strenue gerendas divinitus quasi constituta, ut supra ostendimus, stringeret: tamen in Ministerialibus illa quiescere ceperit; saltim regulariter. Nam docimus l.c. et sq. Ministerialium obligationem ministeria aulæ et iudiciorum respexisse, nisi simul feudo ad militiam obstricti essent. Relata enim legimus apud MIRÆVM in *Notitia eccles.* Belg. Cap. 216. p. 538. hæc verba: GERARDVS DE ISE-RE, MILES, DAPIFER DVCIS LOTHARINGIAE. Quæ vero quamvis ita sint, reviviscébat tamen obligatio militaris, et in Ministerialibus necessitate urgente, ut refert ANDREAS OCKEL, SENATOR CIVITATIS HALENSIS in celeb. tractatu de præscriptione im-memoriali Cap. 2. Thes. 36. vid. insuper ESTOR in Commentariis Cap. VII. §. 340. sqq. GLAFÉY de veterे Mi-nisterialium indole p. 136.

(e) Libertinos ad arma non admissos fuisse in tali Republica, quæ omnis bellum spirabat, ex loco Taciti iam §. 3. Schol. (b) adhibito patet: dicit enim: *et raro aliquid momentum domi, nunquam in civitate.* Vid. DE SELCHOW in saepius cit. scripto. Cap. I. §. 9. Caeterum Romana atque Germanica monumenta evolvens haut raro observabis, conditionem servi Germanici non tam duram fuisse ac conditionem servi Romani: e contraria vero parte sortem liberti Germanici quodammodo du riorem fuisse, ac sortem liberti Romani. Et hue etiam pertinere videtur Programma III. GEBÄVERI §. 2. Schol. (a) allegatum.

§. VI.

Differimus hucusque de statuum inter Maiores nostros diversitate, eorumque universali, si a Libertinis

bertinis discesseris, obligatione ad militiam faciendam et fortitudinem ubi vis ostendendam. Novimus iam Nobiles, sed non hodiernos, quos praesens ævum inferiores vocare solet, et quorum gratia omnia in superioribus pagellis dicta sunt. Iam itaque queritur, quinam sunt Nobiles hodierni inferiores, unde orti, et quaenam eorum originis causa? Duobus prioribus questionis capitibus facile respondeatur, nam omnes uno ore consentiunt, ab Ingenuis in specie sic dictis eos repeterem originem. Sed tertium caput plures habet latebras. Placet tamen sententia *III. DE SEL-*
CHOW in Elem. Jur. Germ. §. 234. et libello de iur. a stat.
Ingen. dependent. Cap. I. §. 5. prolata, quæ brevibus hæc est: Nobiles inferiores orti sunt ex Ingenuis in specie dictis, qui, multis ex ipsorum ordine in urbes secedentibus ibique urbana et quæstuaria negotia poslea trattantibus, ruri manserunt, et militarem vivendi rationem retinentes titulum Nobilis sensim sensimque sibi adsciverunt, quo magis ab ipsis distinguerentur. Ex his adparet, Nobilium inferiorum originis causam fuisse iustum pruritum se distinguendi a sui ordinis hominibus, qui infra militarem conditionem vivere incipiebant. His positis porro queritur, quænam fuerit huius separationis causa? quidve effecerit, ut multi Ingenuorum in urbes secederent? Distinguenda hic est necessaria secessio a voluntaria. Illius, cuius sub Henrico Aucupe iam vestigia adsunt, qui primus de urbibus exstruendis hisque flore civium conciliando maxime cogitans multos ex agris in urbes mittebat, hic plane non habetur ratio, de voluntaria

E 2

ser-



sermo est. Fiebat vero ideo, quoniam multi militiæ oneribus impares hæc eo modo evitare volebant. Videlicet enim in antecedentibus, quanta fuerit Germanorum obligatio ad militiam, et iam adiungimus, obligatos fuisse propriis sumtibus eam facere maiores, quippe quod partim colligi potest ex §. 5. Schol. (a) partim probat DE SELCHOW l. c. in medium vocato BALVZIO Tom. I. p. 458. per *Capitulare CAROLI M. dè 807.* Hæc onera multos aversatos fuisse, quam maxime probabile fit, si ad illa tempora respicimus, ubi omnium ferrum contra omnes stringebatur, atque ius manuarium vigebat. Quid illis gaudii relictum erat in desolatis agris? colligendæ erant sarcinæ: et quicquid facultatum ferro atque igni eripere licuerat, secum in urbes deportandum, ubi his fortunarum reliquiis sine turbatione frui poterant. His omnibus tamen affirmare non ausim, hos Ingenuos, quos brevitatis gratia *ciuitatenses* appellare liceat, statim atque in urbes secesserunt, cæteris Ingenuis agrariis se ab iis separandi caussam dedisse, inque iis excitasse iustum illum pruritum novum introducendi ordinem. Qui enim in urbes commigrarunt lugenui, ut verbis ENGAVII in *Elem. Iur. Germ. Lib. I. Tit. VI.* §. 153. utar, nobilitatis splendorem retinuerunt, et iure torneamentorum gavisi sunt ad illud usque tempus, quo otio et mercaturæ vacare, atque plebeiorum connubiis se commaculare coeperunt. Infamis itaque sidere coacti Ingenui postquam in urbes migraverant non statim ipso iure et facto prærogativam, qua obstatum



tum Ingenuitatis fruebantur, amitterebant. Tantum enim abeit, ut sponte status ac ordinis iacturam ad miserint, ut potius nihil prius nihilque antiquius haberint ac differentiam inter se aliosque urbis incolas conservandam. Quod ostendit etiam peculiaris illa denominatio der Freyburger ut et der Pactburger, quae de re agit *Dissertatio BENI. HAEVESCHE de Nobilibus urbium Germaniae civibus paucitis* §. I. 8, 10. Maxime in ipsis urbibus adhuc militarem animum exercebant largis stipendiis incitati, praesertim turbidis istis iuriis manuarii temporibus, ubi ipsae urbes impetum improvsum saepius metuebant. Vid. cit. *Diss. integra.* Successu vero temporis, maxime sedata dissidationum tempestate, cum commoda in urbibus vivendi ratio et luxus his civitatensibus Ingenuis magis magisque placeret, eligerunt ea, quae urbana sunt, negotia quæstuaria excercentes, mercaturæ vacantes, seque cum plebeiis per connubia commiscentes. Vid. *Cramer de iur et prærog. Nobilit. avitæ Cap. 2. §. 8. sqq.* Haec omnia non poterant non minus placere Ingenuis agrariis, qui, civitatenses infra suos natales hoc modo se demittere, ægre ferebant. Nam ut per se vitam urbanam, quam luxui prodesse, fortitudini obesse putabant, cane peius et angue fugere solebant omnes Ingenui, quod vel ex parvo urbium veteris Germaniae numero colligi potest, conf. *Heineccius in Elem. Iur. Germ. Lib. I. §. 78.* ita fordere iis videbantur Ingenuorum civitatensium familie, quæ ita male militarem vitam, vitam illam maximo honore semper dignissimam habitam



derelinquebant. Odio itaque prosequerantur illas, commune cum iis nomen fastidiebant, et cum militarem vitam in agris et prædiis suis soli continuarent, de separatione ab istis cogitare incipiebant, primo privatim Sec. XIII. et XIV. rebus eorum auctis Nobilium elogium adfectantes, usque dum Sec. XV. et XVI. idem ex ipsis adeo Cæsaris Principumque cancellariis, præsertim cum tunc temporis et veteres illi Nobiles maiores titulos sibi vindicare inciperent, tanquam debitum hereditariae quasi militaris gloriæ præmium reportarent. *Vid. III. STRUBEN de origine ac progressu ordinis equestris. §. 9. sqq. §. 26. sqq. eiudem N. St. III. p. 489. sqq. SCHEIDIVS l.c. §. 18. p. 135. sqq.*

SCHOL. Sic in medio consistit veritas, quam secuti tuius ire videmur. Quod ad eorum factionem attinet, qui hodie nos Nobiles inferiores cum illa vetere Nobilitate in uno eodemque fastigio ponunt, quo eo facilius Nobilitati Imperii immediatae huius iura vindicare queant, quorum antesignanus præcipue **BVRGEMEISTERVS** est; hos pro more refutavit acutus **ESTOR** cum **KOPPIO** et **POTGIESSERO** in hoc argumento conspirans in commentariis Cap. 5. §. 252. et 273 sqq. Sed nec desunt plane, qui ob antiquam Ministerialium, quorum honorem et prærogativas cum aliis cordatioribus supra vindicavimus, conditionem male intellectam aut forte studio neglectam, Nobiles inferiores infra insimam plebem ponere haut erubescunt. His vero homunculis svaviter somniantibus; somniantibus tamen moverunt iam dudum litem Viri celeberrimi. Quid vero demum sibi velit *Dissertatio quædam Lipsiensis auctore REICHEL edita, et de vera origine Nobilitatis*



titatis inferioris inscripta, videant alii: nos quidem eam non intelligimus. Statim ab initio dicit auctor, se in Scheidii et Burgemeisteri libris invenisse quædam, quibus apparitionem suam superstruxerit. Si vere deum per densissimam logomachiarum silyam ad finem ventum, nil aliud adparet, ac auctorem scripsisse de vulgari opinione, quam pro nova habuit. Scriptus pro DELICATVLORVM more.

§. VII.

Ingenuis in agris remanentibus sic etiam Nobilium titulo exornatis, cura separationis, ut ita dicam, ad Nobiles illos veteres perveniebat. Aegre enim omnino ferebant, elogium sibi huc usque proprium iam cum istis novis hominibus communicari. Quo itaque factum, ut titulus ILLVSTRIVM (der Erlauchten Personen in Teutschland) quam maxime existimatione creverit, et solis istis veteribus Nobilibus fuerit attributus, et postea etiam iis collatum sit elogium NOBILITATIS SVPERIORIS, titulo NOBILITATIS INFERIORIS his novis Nobilibus relicto,
DE SELCHOW in Elem. Iur. Germ. §. 232.

SCHOOL. Ingenuorum ordine hoc modo diviso, una parte Nobilitatis inferioris elogio condecorata, altera vero in naturam HOMINVM CIVICI ORDINIS (der Bürgerlichen degenerante, quæri posset I.) an hodie in hominibus civici ordinis præsumendum sit pro ipsorum naturalibus ex vetere illa Ingenuitate derivandis, necne? II.) an abiecta militari vita et natalium iura amiserint? Ad posterio-



steriorem quæstionem §. sq. respondebimus, de priori, quale quid nobis videatur, hoc Scholio exponemus. Adfirmantem scilicet tuemur sententiam, statuimusque, hodie præsumendum esse in dubio, homines civici ordinis ex Ingenuis sanguinem trahere. Quod partim sequitur ex ficta servorum in Germania multitudine, quam fictam declaravit Celeb. *de SELCHOW c. I.* Cap. I. §. 8. partim inde, quod non nisi Ingenuorum natalibus coruscantes in urbes recepti fuerint. LEHMANN Chron. Spir. IV. 22. p. m. 353. sq. qui leges Imperatorum hac de re disponentes adducit. Huc redit etiam paroemia: keine Henne fliegt über die Mauer, quam eleganter illustrat Hertius paroem. II. p. 401. Ecquid præterea fuit in causa, ut veteres sollicite distinxerint in cives et civitatem inhabitantes? Negari quidem nequit, et homines libertinæ pariter ac servilis conditionis in urbes se subduxisse, qua de re iam ad §. 2. Schol. (b) mentionem fecimus, quod tamen ad præsumptionem secundum hos capiendam omnino non sufficit. Cæterum non est quod mireris, nos non cum communī schola dicere *Burgenses*, *Burgarii*, *Burgangi*. Hodie enim ita loquuturus vix logomachiam effugies. Dicuntur enim *Burgenses* seu *Burgarii* non solum, qui nec Nobiles nec Rustici sunt, sed et ii quoque, qui in urbibus iure civitatis gaudent. Melius itaque dixeris, putamus, **HOMINES CIVICIOR DINIS**, qui vel **BVRGENSES** sunt, vel non.

§. VIII.

Palmarium medium, quo Nobiles superiores ad conservandam præferentiam atque differentiam inter se et Nobiles etiamnum inferiores utebantur, in eo con-



sistebat, ut omni studio se caverent a matrimonio cum femina Nobili inferiore (a), unde enatum *matrimonium impar* seu *inæquale* (eine nicht standesmäßige Ehe) quod in genere est: Matrimonium inter personas diversorum natalium contractum (b).

(a) In contrahendis nuptiis nulli fere unquam orbis terrarum populo magis curæ cordique fuit æqualitas, ac quidem Germanis nostris. Quid igitur mirum, Nobiles superiores eam tam acriter observasse in hoc antiqui temporis articulo, de quo hic sermo est. *Vid. ESTORIS Diff. exhibens vestigia iur. Germ. et quidem Cap. I. X. de sponsal. de odio in matrim. inæqual. et restri-
ctio iure Nobil. Germ. quoad connubia. Porro LVEDI-
GER DE MANSBACH, de matrimonio Principis, Co-
mitis liberique Domini cum virginе Nobili. Denique Ill.
STRUBEN von ungleichen Ehen Tom. 5. der 1^{te}. St.
pag. 232 - 262, ut et 560 - 564.* Hoc odium in matrimonium inæquale, seu potius hæc iusta præcautio, qua omnis ordinis ac status prærogativa ac differentia conservatur, rem eo redegit, ut in usum et observantiam prorsus abierit, inæquali matrimonio et superioris et inferioris Nobilitatis virginem ignobilis se sociante statum suum amittere. *Vid. L. B. DE SENCKEN-
BERG in delectu florum ex iuribus Nobilitatis Germani-
æ. §. 9. Schol. 3.*

(b) Hic certe nimis largi Viris summis a nobis dis-
sentientibus videbimus. Scimus quidem, matrimonia
inter homines diversorum natalium contracta plerumque dividi solere in *disparagia* et *matrimonia inæqua-
lia*. Illa definiri solent: *matrimonia personarum non servilis conditionis cum personis servilis condi-
tionis.* Haec: *matrimonia hominum non quidem servilis condi-
tionis, inæqualis tamen status ac natalium inter se inita.*

F

illis



Illis concedunt effectus iuridicos nullos, his vero non
 ex integro omnes. *Vid. de SELCHOW in Elem. I.*
G. §. 429. 430. 431. et præsertim §. 432. sub finem.
 Sed nobis longe alia sedet sententia. Hæc divisio ma-
 trimoniorum hodie amplius obtinere nequit. Quam-
 vis enim exemplis probare conentur, matrimonia
 cum effectu civili contracta esse, et inter Nobiles supe-
 riores et inferiores, ut et inter Nobiles inferiores et
 homines civici ordinis: distingvendum tamen videtur
 esse inter illa tempora et nostra. Ante distinctionem
 enim inter Nobilitatem superiorem et inferiorem et
 primis temporibus post illam, veram et sat fundatam
 fuisse horum sententiam hancque divisionem, quidem
 largimur. Sed postea, cum omnes in Germania homi-
 nes, speciatim utriusque Nobiles in suis quique ordines
 quam maxime a se invicem diversos abirent, et quilibet
 suam præferentiam ac prærogativas suaque propria
 sibi iura vindicare studeret, omnia natalium iura; quæ
 hucusque communia fuerant, non poterant, non eva-
 nescere. His sublatis non potest amplius subsistere
 agitata matrimoniorum divisio iis superstruxta. Neces-
 se itaque est statuamus, omnes IV. in Germania hodi-
 dienos hominum ordines, Nobiles superiores, No-
 biles inferiores, Homines civici ordinis atque Rusticos,
 matrimonium haut multo, vel fere plane non a dispa-
 ragio diversum, inire, si extra statum ac ordinem quilibet
 suum excedunt. Hoc matrimonium adpellare li-
 ceat IN A E Q V A L E unico artis termino, cum divisio-
 ne in disparagium et inæquale non amplius opus, nisi
 matrimonia inter unius ordinis diversorum graduum
 personas inita carpere, et eorum gratia hanc divisio-
 nem certo modo forte retinere velis. Sed quicquid
 sit, diximus tantum ea, quæ nobis esse ac fieri debere
 videntur, non, quæ actu sunt atque sunt. Nam si a
 No-



Nobilitate superiori discesseris, hæc omnia non ita stri-
cte obseruantur, cum a tali matrimonio Nobilium su-
periorum maiora dependeant, hique eadem pastis fa-
miliae valde impedierint. *DE SELCHOW in Elem. I.*
G. §. 432.

§. IX.

Nobilitatis superioris omnes species §. 4. enar-
ratæ hodie adhuc maiore lac olim splendore supersunt,
exceptis illis veteribus Baronibus seu Dynastis (a).
Nobilitati inferiori non defuit gratia Cælarea varias
illi dignitates, velut Baronum, Comitum. quid? quod
Principum concedendo (b).

(a) Hodie omnis veterum Dynastarum familia cessat,
quippe quæ aut prorsus extincta, aut Ducum, Princi-
pum, et Comitum dignitate ornata. Sic hodierni
Duces ab ARENBERG olim Dynastæ, Carolo V. in
dignitatem Comitum, a Maximiliano II. in dignitatem
Principum et denique a Ferdinando III. in dignitatem
Ducum evecti sunt. *Auctor nobis est III. PVTTERVS*
in Elem. Iur. Publ. Lib. I. Cap. 9. §. 121. Schol. 3.

(b) Qua de re videatur ESTOR, *Von dem Unter-
scheid der heutigen Freyherren &c. in den kleinen
Schriften Tom. I. p. 844. IDEM, de statu ac dignitate,
item de differentia veterum Dynastarum Imperii et hodiernorum
Nobilium in OETTERI Historischer Bibliothek
Tom. I. pag. 363-372.* In his scriptis multa memoratu
digna obvia sunt, quæ hoc pertinent.

§. X.

Ex his omnibus, quæ huc usque disputavimus,
hac consequitur positio: *Non omnes, qui hodie Ducum,*
Prin-



P. 263

Principum Comitum dignitate coruscant, ad Nobilitatem superiorem referendi sunt, sed tantum ii, qui se ex veteribus Germanie Nobilibus sanguinem trahere, fidem facere possunt. per §. 6. 7. Vidimus enim ibi causas originis utriusque Nobilitatis, vidimus, veteres Nobiles, non alios, elogium Nobilium superiorum, et titulum Nobilium inferiorum Ingenuos agrarios, non alios nactos esse. Sunt itaque soli natales, qui Nobilitatis superioris aut inferioris iura largiuntur. Dignitas vero nihil ad statum et natales.

SCHOOL. Hanc differentiam inter dignitatem et natales non observant nostri novellarum compilatores, qui dici non possunt, quantum Nobilium superiorum numerum in qualibet fere Germaniae aula se invenire somniant. Si forte fortuna inveniretur inter Nobiles inferiores quidam, qui posset et vellet probare, Maiores suos olim a veteribus illis Nobilibus originem petuisse, illi non neganda essent Nobilitatis superioris iuria, et virgo Nobilis superior illi nubens, si rem ad vivum resecamus, matrimonium inæquale plane non contraheret. Sic e contraria parte familis de FREYBERG et de QVAD nihil prodest dignitas Dynastæ et possessio antiquarum harum Dynastiarum, cum non sint Nobiles superiores. Vid. III. PVTTERVS c. l. §. 73. Schol. II. et §. 71. ubi amplissimum catalogum Comitum sistit, qui nihilo tamen secius ad Nobilitatem inferiorem referendi sunt.



ULB Halle
004 393 171

3



f TA → D
nu 11 10 Stück verknüpft



GEORGII FRIDERICI WACHE
IVRIVM CANDIDATI

OPVS CVLVM

HISTORICO-IVRIDICVM

ORIGINEM NOBILITATIS INFERIORIS CONCERNENS.

JO. HENR. BOECLER.

in Tiberio Caesare Diff. II

Magnis Rebus publicis imperiisque Nobiles divinitus destinantur vel ad ornatum vel ad praefidium. In regno praecipuum regnantis decus et praefidium censemur illustres domus: adeo ut a tyranni nota vel suspicione se non liberaturus sit, qui haec regni sidera exstanta cupit.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM, ANNO MDCCCLXV

SVM TIEVS AVCTORIS.